

quos *praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui*; illos et vocavit, et justificavit *et glorificavit*. Videtur ergo, quod haec omnia aequae directe Deus voluerit, non vero prius hoc, deinde illud propter istud. Inde etiam intelligere licebit, cur S. Scriptura, de praedestinatione ac proposito Dei agens, indifferenter istud tum ad gratiam, tum ad merita, tum ad gloriam referat, ita ut non possit clare et certo dignosci, quid principaliter praedestinatio respexerit.

## § V.

*Quid Bellarmino opponitur.*

155. In opinionem Bellarmini ac thomistarum duae quoque militant objectiones. Prima; quod voluntas antecedens salvandi omnes homines vera ac seria non videatur, si tantum illi, qui, antecedenter ad merita praevisa, ad gloriam efficaciter fuerunt praedestinati, salutem assequantur. Secunda, quod Scriptura et PP. generatim dicant, salutem pendulam a meritis esse, non autem è contra, ut haec supponit opinio.

Ad 1.<sup>m</sup> autem difficultatem dici posset: voluntatem antecedentem salvandi omnes praecedere ad efficacem electorum praedestinationem, et Deum eos omnes efficaciter elegisse ad gloriam, quos praevidebat perseveraturos, et in quibus specialiter sibi complacuerat, ut dictum est supra (n. 153, 2.<sup>o</sup>). «Qui enim recedit a Christo, ait »D. Prosper (1), et alienus a gratia finit vitam, quid nisi in »perditionem cadit?... Quod quia Dei praescientiam nec latuit, nec »fefellit, sine dubio talem numquam elegit, numquam praedestinavit, et perituum numquam ab aeterna perditione discrevit.»

Ad 2.<sup>m</sup> dicas: salutem, quoad executionem pendere a meritis; quoad intentionem vero et praedestinationem, licet merita non fuerunt causa illius, fuerunt tamen conditio *sine qua non*; quia Deus volebat gloriam dare ad modum coronae, ideoque eos omnes et solos praedestinavit, quos praevidebat fideliter perseveraturos, ut dicit Prosper, et in quibus specialiter sibi complacuerat. Si vero supponas absolutam ad gloriam praedestinationem praecessisse voluntati antecedenti salvandi omnes, rem obscuram nimis ac difficultatibus plenam affers.

(1) Cap. 2, ad Capitula Gallorum.

## § VI.

*Quae obijciuntur opinioni tertiae.*

156. Quoad sententiam Vazquezii. apud theologos jam sat communem, duplici modo eam AA. exponunt: a) vel quatenus Deus primum praedefinivit merita et perseverantiam, et inde propter merita absolute praevisa praedestinaverit ad gloriam; b) vel quatenus prius decreverit gratias sufficientes omnibus tribuere, et praevisis exinde meritis seu bono gratiarum usu, decreverit tandem, propter eadem merita, gloriam.

a) Si primo modo haec sententia defendatur, duplex praecipue est difficultas. Prima: quod non videatur Deus serio velle ceterorum, quorum non praedefinivit merita et perseverantiam, salutem; cum nullus eorum salvetur. Secunda: cum merita sint ad beatitudinem media, voluntas absoluta meritorum praesupponere videtur voluntatem absolutam beatitudinis.

Verumtamen ad 1.<sup>m</sup> respondeas, quod in Schol. V. (n. 155.) ad eandem diximus difficultatem.

Ad 2.<sup>m</sup> autem dici potest; merita non esse, respectu Dei, pure et praecise media ad beatitudinem; neque beatitudinem esse tantum finem. Beatitudo est merces, quam Deus conferre vult laborantibus, et haereditas filiis adoptivis ac Jesu Christi fratribus destinata. Proinde voluntas dandi absolute beatitudinem consequi debet voluntatem concedendi opera meritoria et gratiam filiationis adoptivae: *Si autem filii*, ait Apost. (1), *et haeredes... Si tamen compatimur, ut et conglorificemur.*

157. b) Si vero secundo modo sententiam Vazquezii defendas; triplex potissime urget objectatio. Prima: non elucet specialis erga electos praedilectio, quae a Scripturis et SS. PP. adeo commendari videtur. Nam Deus, communi quadam voluntate, auxilia sufficientia omnibus dare decrevit, fideles autem et cooperantes deinde praedestinatorum. Secunda: quod non videantur ipsa bona opera et justificatio esse *directe* donum Dei, quemadmodum saepe docet S. Augustinus, et innuit S. Scriptura. Tertia, consequenter, difficultas est, quod justis et electis se ipsos discernere praecipue videntur, contradicente Apostolo; (2): *Quis te discernit?*

Ad 1.<sup>m</sup> Objectionem respondebis, si, ut notatum est Schol. III, n. 2.<sup>o</sup> dicas, Deum ex singulari erga electos praedilectione praesentem gratiarum et auxiliorum ordinem concedere et dare decrevisse. Unde licet non ex efficaci amore salutis aut meritorum contulerit

(1) Rom. VIII, 17.— (2) I Cor. IV, 7.

electis ea auxilia, dedit tamen ex peculiari complacentia in salute illorum.

Ad 2.<sup>m</sup> dici potest: bona opera et merita esse directe donum Dei; non tantum quia directe illa intendebat, sed etiam quia ex speciali affectu eadem electis procuravit.

Ad 3.<sup>m</sup> dicendum, etiam in hac sententia Deum principaliter electos discernere. Nam primo; illam specialem praedilectionem, qua electis gratias efficaces tribuit et merita ad gloriam, poterat Deus liberrime erga alios habere, si diversum voluisset rerum ordinem. Secundo; quia gratia Dei, qua merita ad statum supernaturalem elevantur, praecipue discernit hominem. Ad rem Augustinus (1): «Si quaeramus utrum donum Dei sit voluntas bona, mirum si negare quisquam audeat. At enim quia non praecedit voluntas bona vocationem, sed vocatio bonam voluntatem, propterea vocanti Deo recte tribuitur quod bene volumus, nobis vero tribui non potest quod vocamur.» Item. n. 13 (ibid.): «*Non volentis, sed miserentis est Dei*: quia etiam si multos vocet, eorum tamen miseretur quos ita vocat, quomodo eis vocare aptum est, ut sequantur.»

### § VII.

#### *Ex dictis quid magis probandum.*

158. Quodlibet horum, de divina praedestinatione, systematum probabile esse, fateri oportet: quod illorum vero magis probandum non facile ac ratione innixus sufficienti judicabis. Oportet enim in eis perpendere id quod praeseferunt positive, nec non id quod exclusive asserunt: primum quidem haud levibus argumentis defendi potest; aliud vero non ita.

Distinguentes in Deo primam illam voluntatem absolutam, qua, antecederet ad scientiam visionis, rerum creandarum intendit ordinem, ab ea voluntate, qua, scientia visionis existente singulas et universas res creandas respexit, videtur dicendum:

159. 1.<sup>o</sup> Verisimilius est, Deum prima sua voluntate intentiva et absoluta (supposita illa simplici complacentia, de qua supra, § III, 2.<sup>o</sup>), eo modo praedestinationem statuisse, prout a P. Molina et aliis AA. defenditur. Nam omnia quae ad praedestinationem concurrunt, sive ad gloriam ipsam spectent, sive ad gratiam et merita, ita in solidum connectuntur, ut participatio divinae bonitatis et gloria Dei extrinseca, quae in singulis habetur, compleatur multumque mutuo dependeat ab aliis. Major namque effulget Dei bonitas et gloria in electorum beatitudine, parta ex meritis et

(1) Ad Simplic. q. 2, n. 12, l. 1.

gratia Christi, ex. gr.; quam si praecisive et sola inspiciatur. Similiter, aliam referunt Dei bonitatem et gloriam dona gratiae et merita ad beatitudinem ducentia, quae sit cohaereditas cum Filio Dei naturali, praedestinatorum capite; aliam autem exhiberent, si aliter ad beatitudinem conferrent. Videtur ergo, quod finis Dei supremus et extrinsecus non patitur illam decretorum distinctionem in praedestinatione efficienda; nam fines respectivi talium decretorum mutuo rationem boni ab invicem participant, respectu ad supremum finem Dei, communicationem, scilicet, suae bonitatis, et gloriam extrinsecam.

160. 2.<sup>o</sup> Tamen posito illo unico et universali Dei decreto intentivo totius rerum ordinis, ideoque et praedestinationis; novit Deus per scientiam visionis totum suo tempore exiturum rerum ordinem; et in praedestinitis quidem, gloriam procedentem ex meritis, et merita ac gratias omnes ad gloriam ducentia. Haec bona omnia amavit divina voluntas, in eis efficaciter complacuit, et quemadmodum statuerat, ita fieri voluit. Unde bonitatem illam, gloriam illam Dei, quae in omnibus gratiis et meritis effulget, quatenus ad beatitudinem ducentibus, amavit divina voluntas, et in eadem efficaciter complacuit. Hinc verissima videtur sententia illa, quae docet; Deum propter beatitudinem voluisse gratias omnes et merita, imo omnia propter electorum salutem fecisse et amavisse. Pari ratione, dilexit Deus et voluit, complacentia absoluta et efficaci, bonitatem illam, ac divinae gloriae splendorem, qualiter in beatitudine electorum effulgebat, ut a talibus meritis et auxiliis provenientem. Hoc modo recte dicitur, Deum voluisse et efficaciter amavisse gloriam propter merita.

Jam vero in opera ad extra determinatur Dei omnipotentia a divina voluntate. Recte igitur dici potest, Deum gratias omnes electis conferre amore beatitudinis illorum; beatitudinem autem iisdem etiam tribuere propter Christi, nec non propter eorumdem merita.

161. Si autem praedicta systemata prout *exclusiva* sunt, seu invicem negantia, accipiantur; illud videtur majorem prae se ferre probabilitatem, quod propter merita praevisa praedestinos fuisse electos defendit. Nam tum ex SS. Litteris, tum ex SS. PP. plura et clariora profert haec sententia testimonia, quae fuse passim apud Theologos reperies: non enim vacat in re incerta amplius immorari. Putamus ergo invicem sibi cohaerere tria haec systemata in eo quod positive praeseferunt, ideoque nullum negandum; si autem foret aliquod rejiciendum, secundum potius probarem, ceteris rejectis, quae supra (§ II), descripsimus.

## THESIS XVII.

Deus neminem positive destinavit ad poenas aeternas, aut reprobavit a beatitudine ante praevisa peccata. Ita adversus Praedestinatianos et Calvinistas.

162. Prob. 1.<sup>o</sup> ex Conc. Valent. can. 3. «Fidenter fate-  
»mur... in electione salvandorum misericordiam Dei praecedere  
»meritum bonum; in damnatione autem periturorum meritum ma-  
»lum praecedere justum Dei iudicium.»

2.<sup>o</sup> Sapiens (1) ait: *Diligis omnia quae sunt, et nihil odisti eorum quae fecisti.* Et iterum: *Cum sis justus, juste omnia disponis: ipsum quoque, qui non debet puniri, condemnare, exterum existimas a tua virtute.*

3.<sup>o</sup> Augustinus (2): «Bonus est Deus, justus est Deus; potest  
»aliquos sine meritis liberare, quia bonus est: non potest quem-  
»quam sine meritis damnare, quia justus est.»

4.<sup>o</sup> Confirm. ex dictis supra, Thes. XIV. n. 133.

163. Objic. D. Thomas (3) ait: «Voluit Deus quantum ad  
»aliquos, quos praedestinat, suam repraesentare bonitatem per mo-  
»dum misericordiae parcendo, et quantum ad aliquos, quos repro-  
»bat, per modum justitiae puniendo. Et haec est ratio quare Deus  
»quosdam eligit et quosdam reprobat.» Sed finis repraesentandi di-  
»vinam bonitatem, cum sit finis universalissimus, antecedit prae-  
»visionem peccatorum: ergo aliquos Deus reprobavit a beatitudine an-  
»te praevisa peccata.

Resp. dist. *min.* Finis repraesentandi divinam bonitatem *per mo-  
dum beneficentiae*, antecedit... Conc. *min.* Per modum *justitiae vin-  
dicativae* vel alium modum, qui peccatum praesupponat; nego, vel  
subd. Ita ut, talis finis absolute et approbative intendatur; nego.  
Conditionate et permissive; transeat, vel concedo.

## THESIS XVIII.

164. Nullum Deus propter solum praevisum pec-  
catum originale, et in eodem signo praevisio-  
nis, exclusit absolute a vita aeterna.

Quod tenendum adversus Jansenium, et antiquum aliquem theo-  
logum.

1.<sup>o</sup> Apud Ezech. dicitur (4): *Numquid voluntatis meae est mors  
impii, dicit Dominus, et non ut convertatur a viis suis et vivat?* Et

(1) Sap. XI, 25; XII, 15.—(2) L. 3, contr. Julian. c. 18.—(3) P. 1, q. 23, a. 5,  
ad 3.—(4) XVIII, 23.

iterum (1): *Venit Filius hominis quaerere et salvum facere quod  
perierat.*

2.<sup>o</sup> Deus habet voluntatem salvandi omnes, et misit Filium  
suum ut omnes redimeret, ut dictum est, supra (n. 133), Thes. XIV.  
Sed non ita esset si aliquos ex solo praeviso originali reprobasset:  
ergo neminem exclusit Deus à vita aeterna propter solum prae-  
visum originale.

## THESIS XIX.

Neminem Deus positive reprobat a gratiis ef-  
ficacibus.

165. Nota: Deus nullatenus aliquos reprobare a gratiis sufficien-  
tibus ad salutem, patet ex Thes. XIV. Quia vero multi gratias effi-  
caces non suscipiunt, dicimus id non oriri ex eo, quod positive  
Deus ab hoc medio salutis eos reprobaverit.

Prob. 1.<sup>o</sup> Deus dat omnibus gratias sufficientes ea intentione, ut  
sint efficaces, id est, ut cum illis operentur, mereantur et salutem  
assequantur. Sed si nollet Deus positive efficaciam, non posset cum  
ea intentione gratias sufficientes conferre: ergo nullum reprobat  
positive ab efficacibus.

2.<sup>o</sup> Si aliquem Deus reprobasset positive a gratiis efficacibus, de-  
beret exinde illi seligere gratias inefficaces, *qua inefficaces*. Sed hoc  
esset amare inefficaciam, seu abusum gratiae, id est, peccatum. Er-  
go neminem Deus...

166. Objic. Deus tradit aliquos in reprobum sensum, indurat,  
deserit, etc. Sed id non facit auferendo gratias sufficientes: ergo au-  
ferendo gratias efficaces, seu positive reprobando.

Resp. Nego *conseq.* *Vivo ego, dicit Dominus: nolo mortem impii,  
sed ut convertatur et vivat* (2). Deserit ergo Deus et indurat, permit-  
tendo ut occasiones eveniant peccandi, atque a daemone tententur,  
gratiisque abutantur: deserit dum aufert gratiam sanctificantem,  
et denegat gratias illas efficaces, quas pius et misericors alias pro-  
videret.

## THESIS XX.

Reprobatio negativa omnino absoluta, id est,  
quae praescindat omnino a praesenti auxilio-  
rum ordine et hominum cooperatione, non est  
admittenda.

167. Nota. Oportet ut reprobationem negativam distinguamus a

(1) Luc. XIX, 10.—(2) Ezech. XXXIII, 11.

positiva, quae sita est in voluntate damnandi aliquem, quia dignus damnatione iudicatur, et sic a Suarezio describitur: «Alio modo intelligimus Deum habere firmum decretum de aliquo effectu, non tamen ex se solo, sed provocatus ex causa aliqua in homine praevisa, et cum aliquo simplici affectu et quasi desiderio contrarii effectus. Et hoc modo credimus voluisse Deum damnationem reproborum» (1).

Reprobatio negativa est negatio seu non concessio illius efficacis ordinationis ad gloriam, quae aliis conceditur. Cum autem praedestinatio sit ejusmodi efficax ordinatio ad gloriam; manifestum est, reprobationem negativam nihil aliud esse, quam negationem praedestinationis. Cum ergo praedestinatio, ut diximus (§II, n. 150) triplici modo concipi possit; pro systematum diversitate, idem dicendum de negativa reprobatione.

168. Prob. thesis 1.<sup>o</sup> Si Deus separavit, antecederet ad hunc auxiliorum ordinem, praedestinos a reprobis, non intelligitur quomodo velit sincere Deus reproborum salutem. Sed si detur reprobatio negativa, quae praescindat omnino ab hoc auxiliorum ordine, Deus separat antecederet ad hunc ordinem praedestinos a reprobis: ergo si datur talis reprobatio negativa non intelligitur voluntas salvandi omnes; ideoque non est illa concedenda.

*Maj.* prob. Si Deus separavit, antecederet ad hunc auxiliorum ordinem, praedestinos a reprobis. videtur, quod Deus, data opera, sicut deinde selegit pro praedestinis auxilia efficacia, ita et pro reprobis inefficacia. Sed si ita egisset, nollet sane cum sinceritate reproborum salutem: ergo si Deus...

*Maj.* prob. 1.<sup>o</sup> a priori: qui vult finem debet adhibere media; ergo quemadmodum pro absolute praedestinis, ne evadant reprobi, debuit seligere auxilia efficacia; ita, ne cum praedestinis, quos antecederet, ut supponitur, voluit separatos, miscerentur non praedestinati, opus fuit ut inefficacia seligerentur auxilia. 2.<sup>o</sup> A posteriori: nam, inter tot millia millium non praedestinatorum, ne unus quidem auxilia efficacia ad salutem assequendam obtinuit, dum illis auxilia tradebantur, post illam a praedestinis absolutam separationem: videtur ergo quod, data opera, illis inefficacia seligebantur auxilia.

169. Prob. 2.<sup>o</sup> Homo potest vitare reprobationem negativam. Sed si haec praescinderet omnino ab hoc auxiliorum ordine et hominis cooperatione, nequiret illam vitare: ergo talis reprobatio negativa non est admittenda.

*Maj.* prob. Homo potest vitare damnationem. Sed qui potest vi-

(1) *De Relig.* l. 1, c. 15.

tare damnationem potest etiam evadere è reprobatione negativa: ergo potest homo vitare reprobationem negativam. *Min.* prob. Potens vitare damnationem, potest determinare in Deo praescientiam salutis. Sed praescientia salutis non potest esse simul cum reprobatione negativa: ergo qui potest...

*Prob. min.* 1.<sup>o</sup> Praescientia salutis supponit in ipso Deo voluntatem efficacem salutis. Sed voluntas efficax salutis repugnat cum reprobatione negativa: ergo praescientia salutis non potest simul esse cum reprobatione negativa. 2.<sup>o</sup> ex Augustino (1): «An quisquam dicere audebit, Deum non praescisse quibus esset daturus ut crederent, aut quos daturus esset Filio, ut ex eis non perderet quemquam? Quae utique si praescivit, profecto beneficia sua, quibus nos dignatur liberare, praescivit. Haec est *Praedestinatio Sanctorum*, nihil aliud: praescientia et praeparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur, quicumque liberantur.»

170. *Objic.* 1.<sup>o</sup> In quolibet praedestinationis systemate accidit, quod ex innumera reproborum multitudine nec unus salvatur: ergo in nullo systemate elucet, quomodo velit Deus sincere reproborum salutem. *Resp.* negando *conseq.* Disparitas in eo est, quod in systemate praedestinationis et reprobationis negativae, omnino antecedentis et absolutae, separatio illa fit ex sola Dei voluntate, nullo habito respectu ad usum vel abusum auxiliorum: in aliis vero, ut supra proposita fuere, systematibus, non fit discretio sine respectu ad auxilia sufficientia omnibus collata et ad cooperationem comitantem. Negatur igitur paritas.

*Objic.* 2.<sup>o</sup> Reprobatio negativa, etiamsi omnino absoluta et antecedens supponatur, non immutat liberum arbitrium. Ergo, illa concessa, potest reprobis vitare damnationem.

*Resp.* Quidquid sit de veritate, *antecedentis*, distingo *consequens*. Potest vitare damnationem impediendo reprobationem negativam; conc. Quin illam impediatur; nego. Proinde negare oportet suppositum illud, quod, nempe, reprobatio negativa sit omnino antecedens et absoluta.

#### THESIS XXI.

Quidquid hominem minus Deo gratum reddit, ut peccata, sive mortalia, sive venialia, etc. potest esse causa reprobationis negativae a gratia efficaci.

171. Prob. 1.<sup>o</sup> *Et retribuet mihi Dominus secundum justitiam meam, ... cum sancto sanctus eris, et cum perverso perverteris: quo-*

(1) *De dono persever.* n. XXXV.

*niam tu populum humilem saluum facies, et oculos superborum humiliabis... quoniam in te eripiar a tentatione* (1).

2.<sup>o</sup> Augustinus (2): «Quaerimus namque meritum obdurationis et invenimus: merito namque peccati universa massa damnata est. Non obdurat Deus, impertiendo malitiam, sed non impertiendo misericordiam. Quibus enim non impertitur, hoc digni sunt, hoc merentur.»

3.<sup>o</sup> Ad effectum negativum sufficit causa negativa. Sed quod facit hominem minus Deo gratum, est saltem causa negativa respectu ad beneficium gratiae efficaci: ergo quidquid hominem minus Deo gratum reddit, potest reprobationis negativae esse causa.

*Min.* patet. Nam congruum est, ut magis grato et amico beneficia tribuantur specialia.

172. **Coroll.** Inde intelligere datur, cur Trid. Concilium ad munus perseverantiae, id est, gratiae efficaci, assequendum, hortetur ad ea opera, quae nos gratiosos Deo reddunt, exequenda (3): «Verumtamen qui se existimant stare, videant ne cadant; et cum timore ac tremore salutem suam operentur, in laboribus, in vigiliis, in eleemosynis, in orationibus, et oblationibus, in jejuniis, in castitate: formidare enim debent, scientes...» Quod, sane, B. Petri doctrina (4) confirmat: *Satagite ut per bona opera, certam vestram vocationem et electionem faciatis; haec enim facientes non peccabitis aliquando. Sic enim abundanter ministrabitur vobis introitus in aeternum regnum Domini nostri et Salvatoris Jesu Christi.*

#### SCHOLION.

#### Sancti Thomae mens de praedestinatione.

173. Ut quae dicta sunt de praedestinatione et reprobatione, praesertim in duabus ultimis thesibus, plus elucescant, placet pauca subicere ex S. Thomae doctrina. Miro donatur S. Doctor mentis acumine ad analysim exhibendum eorum quae pertractat, etiamsi deinde lectori passim permittat synthesim conceptum perficere; quod cum haud parum difficile saepe existat, inde interpretum et commentatorum enascitur multa opinandi diversitas, contententibus omnibus suae interpretationi Magistrum continere.

Verum quot et quam celebres in hoc aberrant interpretes! Nisi dicamus, S. Thomam passim contradictoria edocuisse. Ad

(1) Ps. XVII, 25-28, 30. — (2) Ep. 194. (a. 105). — (3) Sess. 6, c. 13. — (4) II Petri I, 10, 11.

mentem ejus assequendam et synthesim faciendam eorum, quae abstractissime et analytice edocuit, pari, fere, et angelico opus est ingenio; quo cum plurimi minime orrentur interpretes, hinc non pauca, rationi dissona, S. Thomae adfingunt, vel eum sibi non constare excogitant, vel deserendum decernunt, uti saepe Cajetanus.

174. **Nota.** Mysterium istud Praedestinationis exponens S. Thomas, docet (1); Deum, ut numerum praedestinatorum praefigeret, respexisse proportionem praedestinandorum ad universum tamquam partis ad totum. Proinde, licet neget (ibid. a. 5.) dari causam praedestinationis, non tamen negat dari rationem.

Cum autem omnis proportio ex duobus exurgat terminis seu extremis, quaerendum superest: quid in universo, quidve in praedestinat, antecedenter ad praedestinationem, respexerit Deus, ut inde desumeret rationem *numeri praedestinatorum?*

175. **Dico I.** Deus ut numerum praedestinatorum decerneret, non respexit (ad mentem D. Thomae loquimur) ad universitatem absolute praevisam existentem.

Nam gloria praedestinatorum habet rationem finis, plus quam ceterae partes universitatis (ibid. a. I, et 7); et reliqua rationem medii: imo illi partes sunt principales et substantiales universitatis: ergo prius, saltem non posterius, decrevit Deus numerum praedestinatorum, quam cetera. Proinde respiciebat Deus proportionem praedestinatorum ad universum *sub conditione* existens.

176. **Dico II.** Neque respexit Deus, ad praedestinatorum numerum definiendum, merita propria dicta (ex sententia D. Thomae).

Etenim constat, quod nunc supponimus, debere meritum, ut moveat ad praemium, absolute praevideri: sed dum mundus non praevidetur absolute futurus, neque merita absolute praevideri possunt: ergo neque ad merita respexit.

177. **Dico III.** Praedestinatorum proportio ad universitatem perpensa maxime fuit, ratione alicujus respectus ad Christum in praedestinandis praelucentis.

Nam Christus caput est et finis totius universi, et *omnia in ipso constant*, ut infra dicetur (*De Deo incarnato*).

178. **Dico IV.** Praedestinandorum proportio ad universitatem perpensa fuit secundum usum liberi arbitrii eorum.

(1) P. I, q. 23, a. 7.

Nam «Ad divinam Providentiam pertinet ut rebus utatur secundum modum eorum... Forma autem, per quam agit voluntarie agens, non est determinata... Agens voluntarium assequitur divinam similitudinem in hoc quod agit voluntarie... Finis autem ultimus cujuslibet creaturae est, ut consequatur divinam similitudinem (1).»

179. **Dico V.** Cum usus liberi arbitrii, prout ducit ad beatitudinem, fiat cum gratiae auxiliis, praedestinatorum proportio perpendi debuit dependenter ab usu gratiarum.

Ideo sic explicat electionem S. Thomas (2): «Quamvis Deus, quantum in se est, aequaliter se habeat ad omnia, non tamen omnia eadem idoneitatem habent ad recipiendam largitionem bonitatis ejus; et hujus diversitatis cognitionem et ordinationem habet: et ideo convenit sibi electio.» Deinde ait (a. 3, ad 1): «Illi Deus proponit gratiam infundere, quem praescit se ad gratiam praeparaturum: non tamen propter praeparationem quae non est sufficiens causa gratiae, nec finis voluntatis ejus; sed propter bonitatem suam.» Et rursus (a. 4, ad. 2): «Nec praedestinatio frustrari potest: quia praescitum est a Deo quod iste *tali causa et tali ordine* salvabitur.» Proportio igitur praedestinatorum ab usu gratiarum necessario pendeat; scilicet, *tali causa, tali ordine, tali praeparatione, tali idoneitate*, sub conditione praevisionis.

His perpensis, conferas quae supra diximus (Scholia de Praedestinatione).

## CAPUT IV.

### De ipsa Dei virtute ad extra.

#### ARTICULUS I.

#### De Dei virtute in actu primo.

#### THESIS XXII.

Licet scientia Dei ut dirigens sit causa rerum, non tamen necessario illa quae dicitur visionis.

(1) *Contra Gent.* l. 3, c. 73. — (2) I Dist. 41, q. 1, a. 1.

180. **Nota I.** Proprie loquendo scientia visionis est illa, quae absolute videntur res existentes, quae sunt, fuerunt vel erunt. Improprie quaevis scientia, etiam simplicis intelligentiae vel media, dici potest visionis; ut notat D. Thomas (1).

**Nota II.** Aliquando scientia visionis unius rei est causa alterius; sic visio culpa est causa poenae, et visio meritorum Christi causa nostrae justificationis. Sic, pariter, visio rei, decreto intentivo definitae, potest esse causa ut decernatur executio per talia vel talia media; non tamen est necessarium, cum possit Deus eodem simplici velle, decernere talem finem per talia media. Quaestio igitur in eo versatur; utrum res quaevis a Deo efficiatur per scientiam visionis ejusdem rei? Id affirmant communiter thomistae; id autem negant universim DD. Soc. J., cum aliis pluribus, etiam ex illis.

181. **Nota III.** Hunc ordinem concipiunt thomistae: decretum intentivum (intentio finis), decretum electivum (electio mediorum); imperium intellectuale, seu iudicium practicum et efficax (scientia visionis, seu approbationis); tandem executio activa et passiva.

Dicimus istud imperium intellectuale, seu scientiam visionis non requiri ad causandum, praecipue circa actus liberos creaturarum.

182. I.<sup>a</sup> Pars prob. 1.<sup>o</sup> Proverb. III, 19: *Dominus sapientia fundavit terram.* Et in Ps. CIII, 24: *Omnia in sapientia fecisti.* Sap. VII, 21: *Sapientia omnium artifex.*

2.<sup>o</sup> Conc. Vatic. (2) docet: «Liberrimo consilio de nihilo condidit creaturam.» Sed sine rei consultae scientia, liberum consilium dari nequit; ergo per scientiam Deus creat.

3.<sup>o</sup> Tertullianus (3): «Totam molem istam, cum omni instrumento elementorum, corporum, spirituum, verbo quo jussit, ratione qua disposuit, virtute qua potuit, de nihilo expressit.»

4.<sup>o</sup> Scientia Dei est causa rerum, si per illam tantum potuit Deus eas intendere et ordinare. Sed per scientiam simplicis intelligentiae et mediam tantum, repraesentantem possibilitatem, causalitatem et modum, quo causari creaturae valent, potuit Deus intendere et ordinare res omnes; ergo scientia Dei est causa rerum.

183. II.<sup>a</sup> Pars prob. 1.<sup>o</sup> Justinus (4): «Non praenotionem sequitur res futura, sed rem futuram praenotio.» Eusebius (5): «Non est praecognitio Dei causa futurorum.» Hieronymus (6):

(1) Q. 2, de Ver. a. 9, ad 3. — (2) C. *Dei Filius*, cap. 1. — (3) *Apologet.* c. 17. — (4) L. *gg. ad orthod.* resp. 58. — (5) L. 6 de *praep. evang.* — (6) In c. XVI, *Isai.* et c. XXVI.